



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Præcipitania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

quibus se suaque omnia crediderant, prodicione perderentur. Subsecutus ego sum : At ne Cervum tantum Musicæ capi lenocinio persuasum habeamus, Equos etiam, ferro:ia alioqui animalia, eadem affici suavitate, Persica ex historia compertum, magno eorum detrimento, qui bellatores eos effeminatis cantilenis & modulis assuescissent. Murænas quoq; & Trissas, piscium genera, evocari contentu & tintinnabulis, exploratum est vulgò : quamvis Murænas genituræ tantum tempora, utpote quæ Serpentium sequi sibila feruntur, quibus eas admiseri tradunt. Jam & Otus, cui nomen inter aves ab auribus est, tanquam cantaminibus circumventus modulamine afficitur, humerosque jaetare, saltitare, & nutare vertice, quasi modulos teneat aspicitur : sed nulli horum Musica est exitio veluti Cervus, quapropter hinc potius Ægyptii hieroglyphicum suum desumere voluerunt. Sane quo minus mirum sit, Cervum Musicæ modulos intelligere, apud Ælianum legitur eum Indicæ vocis callere sonum, sermonemque percipere, neque alium quempiam ita facile : quamvis Ptolomæo Philadelpho Cervus fuerit, qui Græcum idioma prorsus intellexerit. At jam satis super Cervi Musicæ evagati, reliqua nunc ejus animalis significata subjungamus.

PRÆCIPITANTIA. CAP. II.

Percito quempiam ingenio, temereq; ac nulla ratione sese moventem (ut plerumque furores sunt qui Panici vocantur : quippe cum nulla urgente causa quis infugam se proripiat, negotiumve, quod præ manibus erat, statim abiciat, inceptumque deserat) Ægyptii per Cervum & Viperam appictam intelligebant, Pugna enim huic est cum Serpente, cujus etiam cavernas instigat, nariumque spiritu extrahit renitentem, ut luculenter his versibus Lucretius :

Vipera Cer-
vo inimica:
Lib. 6.

Naribus alipedes ut Cervi saepe putantur

Ducere de latebris Serpentina secla fenarum

Ideo singulare abigendis Serpentibus remedium, Cervini cornu suffitus, ut apud Nicandrum legitur. Idem ipse tamen tam acer anguivium hostis, qui tanto eos conatu perquirat simulac ex improvviso Viperam conspexerit, in pedes se repente proripit, ac fugit : ingenita scilicet naturæ discordia concitus, quæ illi accidit, ut idem Poëta refert :

*Propter dissimilem naturam, dissimilesq;
Texturas inter sese, primasq; figuras,*

*Multa meant inimica per auras, multa per ipsas
Insinuant nares infesta atq; aspera tactu.*

Arimid. l.
2, c. 13.

Sane conjectores etiam tradunt, eum qui per nocturnam quietem imaginatus fuerit videre se Cervum quempiam instantem tergo, longeque sequentem, tuturum ut qui tale somnium viderit, ea sit formidaturus, ex quibus nulla sit offensio subsecutura, ac proinde frustra timet.

PRAVITAS EDMITA. CAP. III.

Vipera
MNA.

Siquid verò ad vetera significata addere concedatur, cum Vipera sit profligatissima, tota vita sceleribus inquinatissima, alia mariti, alia matris parricidio polluta, venenumque ejus atrocissimum, quod omnem, ut ajunt, exuperat medicinam : apte mihi fecisse videbitur, si quis vel Regem, vel Magistrum, vel Judicem quempiam in scelera vindicem sese acerrimum exhibentem, per Cervum & extractam è cavernis Viperam, quam mordicus apprehenderit, figuravit. Eodem etiam hieroglyphico virum intelligemus, qui morum impuritatem corrigat, scelera eluat, pravitatem emendet, & quod idem ait Poëta,

*Veridicis hominum perpurget pectora dictis,
Et finem statuat cupidinis atque timoris,
Exponatque bonum summum, quo tendimus omnes :
Quale sit, atque viam commonsiret in mite parvo,
Qua possimus ad id recto contendere cursu,
Quidave mali immineat rebus mortalibus olim.*



Hoc